

**A**riter crassam reddamus. Porro thorax habilis ad motum redditur, si valida subsit virtus, à qua mouetur; etsi interim ipse emollitus, & nequaquam tensus sequax ad constrictionem, & dilatationem euadat. Sunt autem quæ thoracem aptum ad motum efficere possunt, quæ pinguia, oleosaque sunt, & chalaistica à medicis vocantur. Virtutem roborant, quæ temperiem corpori conciliant; tum illa, quæ innatum calidum augent, quod potissimum nutrimentum præstat. At humor promptus ad expuitionem paratur, quum ad mediocrem crassitiam, & visciditatem perducitur. Quare si plus iusto crassus ille fuerit, attenuantibus, si tenuis incrassantibus, si glutinosus incidentibus; si nequaquam tenax, viscidiora, vel liquidiora, ea forma confecta, ut paulatim descendendo, & veluti distillando per asperam arteriam in pulmonem recipiantur. Illud verò superest vt doceamus, quod. Pertinet ad conseruationem eius, quod in egrotate corpore, sui tutelam requirit. Sunt autem vires, quas tueri oportet, & victus dicitur, quod id facit; in quo facile est errare, si antiquos scriptores sequamur. Nam Galenus libro primo Acutorum morborum satis nutriti putat pleuriticos, si vires constant vsque ad septimum, vsu melicrati, aquæ, & oximelitis; quod genus victus tenuissimum est. At eodẽ libro postea ptisanam illis concedit, & pro ea pisces saxatiles. Quinetiam. XI. Meth. statuit nequaquam esse opus tenuissimo victu in thoracis inflammatione, vt in phlegmone ventriculi, aut iocinoris. Periculum. n. esse ait, in his partibus ne alimentum male coquatur, & ex eo phlegmone augeatur, ad pectus verò tantum nutrimenti iam concocti peruenire, quanto ipsa pars opus habet. Quod etsi verum est, tamen fluxio, vehemensque dolor sisti nequeunt, nec humor concoqui, qui febrem, & inflammationem committit, nisi tenuius alantur ægri pro affectuum vehementia: siquidem tantum est viribus concedendum, quantum salua vita status præter naturam permittit. Siquidem ab extremo victu (vt inquit Hippocrates) tantum recedendum, quantum morbus ab extremis morbis recedit. Quapropter quum vehemens incipit, augetur, vigetque inflammatio, constate virtute, parcissime hominem nutriemus. Vberius autem in mitiore affectu ales, & tunc potissimum quando iam procedit sputum, declinatque morbus, tunc enim, vt ille permittit, sic postulat virtus, quæ ad expurgationem humoris per tussim robore eget maiore. Atque hæc satis de generali hoc exemplo esse puto, in quo studiosus lector plurima præcepta, quæ superius tradidimus obseruata esse, inueniet. Neque enim in uno affectu possunt omnia contineri, quæ ad multos naturaque differentes spectant. Verum enimvero ne alijs delit nostra diligentia, qui exempla quarunt in singularibus casibus, pauca de hac re subiiciam, ex quibus reliqua facile adhibita imitatione trahi poterunt.

*Exemplum particulare ex superiore tractum.*

**H**OMO triginta annos natus, boni habitus, venis amplis, & plenis, colore nigricante, thorace lato, hirsuto, cui hæmorrhoides fluere consuetæ à paucis mensibus suppressæ fuerunt; quique consuevit nutriri cibis, potionibusque; crassis, & in labore viuere; ineunte venter ad solem, in quo boreas vehementer spirabat, corripitur dolore lateris sinistri, pungente, tendente, pulsante, minimoque temporis spatio iugulum, & præcordia simul inuadente; adest illi tussis, sed sine sputo, vrgetque febris non parua, capitisque dolor, pulsus habet validos, magnos, frequentes, duos admodum, & ferrosos; respirat præterea frequenter, & difficulter, ac decumbit in latus vtrumque difficile, vrinas verò rubras, & crassas emittit, nec aliquid à duobus diebus aluus deiecit. Sentit & in ore amaritudinem cum faldedine quadam; grassantur eodem tempore graues pleuritides, sed vt plurimum salutes. Aduocat is eadem die, eademque hora, qua sentit se morbo correptum, medicos, quibus narrat, quid sentiat, exponitque; mali occasionem, & omnia prædicta refert, quibus addit se nequaquam antea valetudinarium fuisse, vt pote qui semel tantum graui febre laborauerit in adolescentia, interim verò præsentibus medicis conqueritur, quod lateris dolor, & vniuersa alia symptomata reddantur intensiora, petitque vt sibi quamprimum succurratur. Dicit in hoc casu is, qui nota præcepta obseruare velit hominem pleuritide affici, id est inflammatione lateris, quæ morbos duos parit vnum ex intemperie in similaribus, alium ex solutione continui in partibus instrumentarijs: esse autem eam inflammationem magnam, vehementem, nec prorsus exquisitam, nec sine malignitate; idque ostendere propria cuiusque indicia. Nam dolor lateris punctorius cum febre, tussi, pulsu duro, & frequenti, mensque dolor ad utrumque thoracis partem protensus, difficilis ad modum respiratio, durissimusque pulsus, & alia actiones læsæ plurimam à naturali statu recedentes: non esse autem exquisitam solum declarat dolor pulsatorius, & decubitus in utrumque latus difficilis, hæc. n. musculos intercostales, externamque membranam simul affici indicant. Malignitatis indicia sunt, etsi illa nondum apparent, hæmorrhoides suppressæ, quæ melancholicum humorem abundare in corpore significant. Ex quo malignæ inflammationes ut alij morbi nascuntur. Est præterea morbus in incremento, quod ostendunt symptomata omnia, quæ plurimum augentur. Porro inflammatio ex multo humore constat, in quo sanguis non purus sed pituita, & utraque bile infectus exuperat. Nam vehemens dolor & pulsatorius, qui ad utrumque extremum thoracis extenditur, magnam humoris calidi collectionem testatur. Id quod etiam significant venæ amplæ, & tumidæ, thoraxque latus, & hispidus & causæ validæ, quæ magnæ fluxioni

Ioan. Argent. De Consultandi Rat.

H 3 occasio-